

5 Kern 240(1-31)

28

ORDINIS MEDICI IENENSIS DECANVS
IVSTVS CHRISTIANVS LODER, D.
DISSERTATIONEM INAUGVRALEM,
VIRI CLARISSIMI ATQVE DOCTISSIMI
FRIDERICI WILHELMI LVDOVICI
HIRT

I E N E N S I S

PHILOSOPHIAE DOCTORIS AC CIVITATIS ZITTAVIENSIS MEDICI
OBSTETRICII DESIGNATI

A. D. XX SEPTEMBR. MDCCLXXXIV

PVBlice HABENDAM

INDICIT.

Praemittitur commentationis de ALANSONII *nova amputa-*
tionis. methodo

Part. III.

I E N A E
LITTEris STRANKMANNIANIS.

ORDINE HANDELSTREISER
HISTORISCHES HANDELSRECHT
VON
FRIEDRICH WILHELM EYBONCK
HIST.

LEIPZIG
HINRICH DOBNER'S VERLAGS-UND
BUCHEHANDLUNG

ALSO IN VERBAND MIT

LEIPZIG HANDELSRECHT

LEIPZIG

Die in diesem Bande enthaltenen
Artikel sind die

LEIPZIG
HISTORISCHES HANDELSRECHT





Retracta igitur, quantum opus est, cute, musculorum incisio ita instituitur, ut oblique ascendendo ad femoris os procedat, adeoque muscoli post peractam sectionem ad tres aut quatuor pollices ante os promineant. Quod vero ut fiat, ita cultrum ducit ALANSONIVS, (externo nimirum femoris lateri adstans), ut incisionem in ipso discissae et retractae cutis limite a margine interno musculi vasti interni incipiat, et hunc reliquosque adjacentes musculos oblique discindat, deinde vero cultrum ad se trahendo quod superest de musculis oblique sursum diuidat, eo tamen

A 2

mo-



modo, vt cultri apicem firmiter ossi appressum in orbem quasi circa os ducat, illudque per totam musculorum discissionem non deserat *).

Hanc autem clarissimi viri methodum, qua in musculorum diuisione vtitur, non sine difficultate absolui posse, iis experimentis, quae iteratis vicibus in cadaueribus institui, edoctus sum. Eadem igitur, quae supra de cutis incisione monui, et hic repetenda videntur, praefendam nempe esse iteratam cultri admotionem, ita scilicet, vt altero cultri ictu musculus lateris anterioris et interioris, altero posterioris et exterioris lateris musculus, obliqua tamen sectione, diuidantur, id quod in omnibus illis casibus, quos Londini vidi, obseruatum quoque esse memini. Quam facili autem negotio id peragatur, experimenta in cadaueribus instituenda quemlibet edocebunt.

In hac vero musculorum discissione semper obseruandum est, vt culter oblique sursum ducatur, adeoque musculus obliqua directione diuidantur. Hac enim ratione ossi praescindendo tegmentum molle, aut, vt ALANSONII ver-

*) Hisce verbis mentem suam expressit ALANSONIVS I, c. pag. 52.
„The assistant still firmly supporting the parts, as before; apply the edge of your knife upon the inner edge of the musculus vastus internus, and at one stroke cut obliquely through the muscles, upwards as to the limb and down to the bone: — now draw the knife towards you, so that its point may rest upon the bone, still attending to keep it in the same oblique line, that the muscles may be divided all round the limb in that direction, by a proper turn of the knife; during which, its point is kept in contact with, and revolves round the bone.“

verbis utar, carneum puluinar paratur, quo non solum vulneris sanatio egregie promouetur, verum etiam ipsum os a denudatione nec non a membri artificialis pressione defenditur; nam muscoli, si perpendiculari, ut hucusque praeceperunt Chirurghi, sectione diuisi fuerint, valde sese retrahunt, et molestissimae illi ossis protuberantiae, de qua Gallici imprimis scriptores vehementer conqueruntur, originem praebent, id quod nec ALANSONIO accidit, nec iis, qui eius methodum secuti sunt.

Peraeta autem musculorum discissione, quod reliquum est fibrarum muscularium cultro diuiditur, ac deinde lintei aut corii ex vna parte fissi ope muscoli a ministro eum in finem retrahuntur, ut ferra, qua os separatur, laedi non possint. Denique vero periosteum eo in loco, ubi os refecandum est, inciditur ac versus inferiorem partem raditur, quo facto, ferra admota ipsum os praescinditur.

Sed haec haecenus. Commendandus enim est clarissimus ac doctissimus Medicinae Candidatus

FRIDERICVS WILHELMVS LVDOVICVS HIRT


IE N E N S I S

qui omni, quo hic degit, tempore laudabili studio salutari arti operam dedit, atque ingenio non minus quam morum probitate excelluit. Quae autem studiorum ipsius fuerit ratio hisce verbis nobis expressit:

A 3

Ego

Ego, inquit, FRIDERICVS WILHELMVS LVDOVICVS HIRT
 natus sum Ienae die XXX Iulii ann. MDCCLXI patre IOAN-
 NE FRIDERICO tunc temporis ecclesiae Ienensis Antifite, et
 matre WILHELMINA ELISABETHA e stirpe KELLNERIANA.
 Optimi parentes omnem curam adhibuerunt, ut religionis princi-
 piis, bonis moribus et litterarum elementis, tum privatis institu-
 tionibus tum quoque in Lyceo Ienensi, rite imbuerer. Anno
 MDCCLXXV b. Parens Wittebergam Professor primarius et
 Circuli Ecclesiaeque Antistes supremus vocatus, me, Rectore Aca-
 demiae Wittebergensis Magnifico b. SCHMIDIO, in numerum ci-
 vium academicorum inscriptum, tam privatae Praeceptorum, quam
 publicae Professorum doctissimorum institutioni tradidit, mihi quae
 occasio praebuit, ut Virorum Celeberrimorum BODENII,
 CELLARII, EBERTI, HILLERI, SCHROEKHII, TITHI,
 ZEVENII et OERTELII praelectionibus in litteras humaniores,
 ac in Philosophiam et Historiam interesset, academice scholis Sum-
 me Ven. TITTMANNI et ipsius b. PATRIS theologicis et hebraicis ute-
 rer. Deinde consentiente b. Parente consilium mutavi et Medicinae ope-
 ram dare incepti. Frequentavi igitur Scholas botanicas, physiologi-
 cas, anatomicas diateticasque virorum Illustrium ac Celeberrimi-
 norum BOEHMERI, NÜRNBERGERI, et LANGGVTHII fil.
 ex iisque summum fructum cepi. Anno MDCCLXXXI mense
 Aprilis Academiam Iensem adii ibique, Praeceptorum, Fauto-
 rum Cognatorum et Amicorum benevolentia et amicitia felicissi-
 mam vitam egi. Sedulus interfui lectionibus Ill. NICOLAI phy-
 siologicis, pathologicis iisque quae materiam medicam spectabant;
 audiui quoque Ill. GRVNERVM in Semiotica, Pathologia, hi-
 storia medica, arte formulas medicas conscribendi, therapia spe-
 ciali et medicina forensi. Adii etiam Scholas Osteologicas, botani-
 cas



7

cas et chemicas Exp. SCHENKII. Nec minus usus sum praelectio-
nibus Excell. STARKII in materiam medicam, phylogiam, ar-
tem obstetriciam, therapiam generalem et specialis illam partem,
quae morbos mulierum et infantum comprehendit; inprimis vero
adit Eius institutiones clinicas et exercitationes disputatorias. In-
terfui etiam lectionibus Exc. HALLBAVERI chirurgicis; ac mathe-
maticis et physicis Virorum Illustrium SVCCOVII et WIDEBVR-
GII et amicissimi BATSCHII.

Anno MDCCLXXXII amplissimus Philosophorum Wit-
tebergensium Ordo, Exc. OERTELIO Decano, summis in Phi-
losophia honoribus me ornavit. Brevi post triste ac lugubre fatum
me anno MDCCLXXXIII mense Iul. orbavit optimo meritif-
simoque Patre, meque coëgit, ut studia academica breviori, ac
antea speraveram tempore, absoluerem. Itaque mense Octobr.
eiusdem anni Berolinum petii, ibique occasionem uberrimam ana-
tomiam addiscendi, et inprimis praxin chirurgicam, obstetriciam
et clinicam exercendi inveni. Praecipue vero usus sum institutio-
bus virorum Excellentissimorum WALTERI, SELLII et VOITI,
quorum erga me benevolentia tanta fuit, ut verbis eam exprimere
non valeam. Parem etiam favorem mihi probavit Cl. RIBKE
Chirurgus et Practicus obstetricius Berolinensis Celeberrimus, qui
mihi non solum quaecumque ad artem obstetriciam uberius addi-
scendam pertinerent libere tradidit, sed et singulari me semper
amicitia ac benevolentia excepit, id quod etiam de Spectabili Eius
familia grata mente profiteor. Mense Junio h. a. Berolinum re-
liqui iterumque Ienam me contuli, ut a gratioso Medicorum Or-
dine Doctoris gradum decenter peterem, quem cum accepero, in-
clytam Civitatem Zittaviensem adibo, cuius Amplissimus MA-
GISTRATUS mihi, quem Ill. MOEHSSEN, Fautor et Patronus
gratissima mente colendus commendauerat, medici obstetricii pro-
vinciam singulari ac numquam satis celebranda benevolentia nuper-
rime obtulit.

Meis

Meis quoque sedulus interfuit lectionibus anatomicis et obstetriciis, ac praxin obstetriciam in Nosocomio, quod curae meae demandatum est, singulari sollertia exercuit, atque, vt humani corporis fabricam ex ipsis cadauerum dissectionibus propius cognosceret, me suatore et comite indefesso studio operam dedit.


Variis igitur studiis, quae animum et ingenium ornarent egregie instructus doctissimus Candidatus, decenter ab Ordine nostro petiit, vt Doctoris Medicinae ac Chirurgiae gradum acciperet. Admissus ad examen consuetum, praeclaram eruditionis copiam ita patefecit, vt Ordo noster non solum non dubitaret, honores, quos petebat, in eum conferre, sed etiam maximo, quo, si quis vnquam, dignus erat plausu eum exciperet.

Superest, vt doctissimus Candidatus noster die xx Septembris cathedram conscendat, ex eaque dissertationem suam *observationes aliquas obstetricias rariores* sistentem sine Praeside publice defendat, sibi que et ex hoc certamine laudem parat, quo facto summis in arte nostra honoribus, quibus eum prae aliis dignum iudicauimus, a me, qui per aliquot annos eximiae eius virtutis ac diligentiae testis fui, ornabitur.

Quem actum solemnem vt **MAGNIFICVS ACADEMIAE PRORECTOR, S. R. I. COMES ILLUSTRISSIMVS, PATRES ACADEMIAE CONSCRIPTI, DIVINAE HVMANAEQVE SAPIENTIAE PROFESSORES AC DOCTORES CELEBERRIMI, VTRIVSQVE REIPUBLICAE PROCERES, CIVES GENEROSISSIMI AC PRAENOBILISSIMI, CETERIQVE BONARVM LITTERARVM FAVTORES** praesentia Sua splendidiorem reddant, Ordinis mei verbis, ea qua decet obseruantia, rogo. P. P. sub sigillo Ordinis Medici

lenae a. d. xviii Sept. MDCCLXXXIV.

(L. S.)





PICA





ORDINIS MEDICI IENENSIS DECANVS
 IVSTVS CHRISTIANVS LODER, D.
 DISSERTATIONEM INAVGVRALEM
 VIRI CLARISSIMI ATQVE DOCTISSIMI
 FRIDERICI WILHELMI LVDOVICI
 HIRT

I E N E N
 PHILOSOPHIAE DOCTORIS AC CIVI
 OBSTETRICII D

A. D. XX SEPTEMBER

PVBLICE HA

INDIC

Praemittitur commentationis de
tionis. me
 Part. II

I E N
 LITTERIS STRAN

